

CLAVDII CARDINALIS GVISANI
XII QVAESTIONES, ET GRAECORVM
ad eas responſiones:

Ex interpretatione IOANNIS LEVVENKLAII.

QUAS hiſce Commentarijs duas potiffimum ob cauſſas ſubijcere uoluimus. Primum, quia breui expoſitione declaratur, quibus in rebus eccleſiæ Græcæ, quas in uniuerſum Moſcorum natio ſequitur, cum Romana conſentiant, aut diſſentiant: deinde quod ſcriptum ipſum recens ſit, nec typis antea publicatum.

QVAESTIO PRIMA.

Credunt ne Græci, panis ac uini ſubſtantiam in Chriſti corpus mutari, manentibus tantum panis accidentibus, ſine ſubiecta ſubſtantia?

RESPONſIO.

Credimus & conſitemur, panem in Chriſti corpus, ac ſimilitudine uinum in Chriſti ſanguinem ita mutari: ut neque panis, neque ſubſtantia eius accidentia maneant, ſed in diuinam ſubſtantiam tranſelemententur. de quo magni patris illius Chryſoſtomi teſtimonium, cuius exſtant uerba in Euangelij per Matthæum memoriae proditi **XXVI** cap. audito. Quum Chriſtus ait, Hoc eſt corpus meum: panem qui conſecratur in ara, non ſignum, ſed ipſius Domini corpus eſſe demonſtrat. Non enim dixit, Hoc eſt ſignum: ſed, Hoc eſt corpus meum. Quippe ui quadam ineffabili fit mutatio, tametſi nobis eſſe panis uideatur. Nam quum imbecilli nos ſimus, & propterea tum crude, tum humane carnis manducationem nequaquam admiſſuri: iccirco nobis quidẽ eſſe panis uidetur, uerum reapse caro eſt. Prodeat itidem nobis ſanctiſſimus ille Bulgarorum antiſtes, & horum Euangelij uerborum mentem indicet. cuius quidẽ hæc uerba ſunt in **XIII** capitis euangeliftæ Marci explicatione, dictum illud, Hoc eſt corpus meum, declarantis. Hoc ipſum, inquit, corpus meum eſt, quod nunc accipitis. Nec enim panis dominici corporis ſignum eſt, ſed in illud ipſum Chriſti corpus mutatur. Et Dominus ait: Panis quem ego dabo, caro mea eſt. Item, Niſi carnem filij hominis comederitis, & ſanguinem eius biberitis, uitam in uobis non habetis. Cur autem ais, Atqui caro non cernitur? Propter noſtram hoc, mi homo, fit imbecillitatem. Nam quum panis & uinum ſint nobis familiares & uſitate, qui ſanguinem & carnem proponi nobis nequaquam latuſi eramus, ſed cum ſtupore quodam ſaſtidenturi: propterea benignus ille in homines Deus demittendo ſe nobis accommodas, panis quidem ac uini ſpeciem retinet, uerum ipſas res in carnis ſanguinisque uim tranſelementat. Idem ab homine diuino Damasceno in Theologicorum **VI** cap. uerbis hiſce traditur: Quia conſueuerunt homines panem edere, ac uinum aquamque bibere: ſua cum eis diuinitate coniunxit, ea que corpus & ſanguinem ſuum fecit, uti per res uſitatas ac naturales, ad ultranaturales penetremus. Corpus diuinitati reapse unitum eſt, illud ipſum corpus inquam, ex uirgine ſancta quod ſumptum fuit. Necque ſic accipienda ſunt hæc, quod

corpus

A corpus illud sursum translatum de caelo descendat: sed quod panis & uinum in corpus sanguinemque Christi mutantur. Quod si modum, quo id fiat, requiris: satis esto tibi, quod audias per Spiritum sanctum fieri. quem admodum etiam à sancta illa deipera sibi & in se per Spiritum sanctum carnem produxit. neque tamen aliud quidquam scire possumus, quam quod Dei quidem sermo uerax sit, & efficax, & omnipotens: modus autem minime peruestigabilis. Neque deterius fuerit etiam hoc dicere, quo pacto panis per manducationem, uinum & aqua per ipsum haustum in corpus atque sanguinem comedentis & bibentis mutantur, aliudque corpus fiant: sic panem illum propositionis, itemque uinum & aquam per inuocationem & accessum sancti Spiritus modo quodam ultranaturali in corpus ac sanguinem Christi mutari, quum quidem non duo sint, sed unum & idem. Rursus eodem capite: Panis & uinum nequaquam figura sunt corporis atque sanguinis Christi, (absit hoc) sed corpus ipsum Domini, quod dixit: Hoc est non corporis mei figura, sed corpus: non figura sanguinis, sed sanguis. Et rursus: Quod si qui panem ac uinum signa corporis atque sanguinis Domini appellarunt, non (uti Basiliius ille diuinitus adflatus ait) hoc nominis oblationi post sanctificationem tribuerunt. Nimirum signa futurorum uocantur, non quasi reuera corpus atque sanguis Christi non sint: sed quod nunc quidem per ea diuinitatis Christi participes efficiamur, quum in altera uita simus intellectiliter eo per solam contemplationem ad spectumque fruituri. Et rursus: Propterea cum omni timore, conscientia pura, fide dubitationis experte accedamus: & eueniet omnino nobis, quemadmodum citra dubitationem credimus. Beatus etiam Paulus in epistola priore ad Corinthios ait: Quisquis indignè panem hunc comederit, aut Domini poculum biberit: ob Domini corpus atque sanguinem poenas dabit. Priscus autem Doctor ille Magnes in Euangelij Apologia, quam ad Theosthenem scripsit: Reuera, inquit, corpus & sanguis Christi est eucharistia, non sanguinis & corporis figura, quemadmodum nugatores quidam parum mentis compotes tradiderunt. Præter hos denique magnus ille Basiliius in sacris Hierurgiæ suæ precibus in hanc sententiam loquitur: Fac me per efficacitatem sancti Spiritus idoneum, ut indutus gratia sacerdotali, arę tuę sanctæ adstem, corpusque tuum sacrum ac immaculatum cum pretioso sanguine religiosè tractem. Denique sanctissimus antistes Dyrrhachij Nicolaus Cabasilas capite XXVII, & ante hunc doctissimus ac perspicacissimus uir ingenij Maximus, in declaratione sacre Liturgię uerbis hisce prorsus inter se consentientes utuntur: Vbi sacrosanctum & omnipotentem ipsius spiritum receperint, panis quidem in pretiosum & sanctum corpus eius mutetur, uinum uero in ipsum sanguinem eius sanctum & immaculatum. Hæc ad primæ quæstionis confirmationem sufficiunt.

QUÆSTIO II.

Existimant ne sacramentum hoc uerborum Christi, Hoc est corpus meum: & Hic est sanguis meus: quibus adde cetera sequentia, confici: an ui & efficacitate Spiritus sancti, sacrarumque precum?

Hoc rursus tibi diuinus ille Chrysoſtomus uerbis hiſce planum faciet. Quemadmodum, inquit, uerbum illud opificis, Augescite ac multiplicamini, ſemel quidem à Deo pronuntiatum fuit, uerum nunquam non efficaſe eſt: ſic etiam uerbum hoc ſemel à Seruatore prolatum, efficaſitatē ſuam perpetuo obtinet. Sed tamen uideamus, num ad incrementum noſtri alterius rei nullius egeamus, an & nuptiæ, & cōiunctio, & alia quædā ſtudioſè curanda requirantur: nequit certè abſq; hiſ fieri, ut hominū genus conſeruetur ac propagetur. Quamobrem ut iſtic ad procreationem liberum nuptias eſſe neceſſarias arbitramur, quibus peractis etiā pro hoc ipſo precamur, neq; tamen iccirco uerbum illud opificis ignominioſè aſpernari uidemur, quippe quod cauſam quidem eſſe procreationis ſciamus, uerum nihilominus procreandi modum per nuptias, educationem, alia que talia progredi: ſic etiam heic ipſa Domini uerba ſacramentū hoc efficere credimus, ſed per ſacerdotem, & eius Deum compellantis tum uerba tum preces. His teſtimonio eſt diuinus ille Cabafilas capite XXVIII, & Bulgarorum archiepiſcopus in XIII capitis Euangelij per Marcum deſcripti explicatione ſic ait: Quum benedixiſſet, hoc eſt, egiffet gratias, fregit panem id quod nos etiam facimus, preces quaſdam addentes. Præterea Symeon ille Theſſalonicēſis archiepiſcopus in Liturgiæ declaratione: Nos, inquit, traditiones illas obſeruantes, quas accepimus, nimirum uti Seruator per ſeipſum, per apoſtolos, per patres tradidit, tam uerendæ communionis myſteria cum Sancti ſpiritus imploratione, per ipſa Domini uerba, & ſacerdotum preces peragimus: quā omnes res ſacras per inuocationem Sancti ſpiritus, ſacerdotis præces, ſignumq; crucis perfectionē cōſequi credimus, uti ex traditionibus diuinis accepimus. Propterea magnus ille Baſilius in Liturgia ſua, poſt iſtæc uerba, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum: itē poſt illa, Bibite de hoc omnes, hic eſt ſanguis meus: ſic quadam in precatione ſubiicit: Te precamur & obſecramus, ſanctiſſime omnium, ut ex bonitatis tuæ beneuolentia ſpiritus ille ſacer in nos ueniat, & in hæc propoſita munera, eaq; benedicat ac ſanctificet: panem quidem hunc, precioſum Domini, Dei, Seruatorisq; noſtri Ieſu Chriſti corpus efficiendo: quod autem hoc poculo continetur, pretioſum ſanguinem Domini, Dei, Seruatorisq; noſtri Ieſu Chriſti, qui pro uita ſalutēq; mundi effuſus eſt: nos uniuerſos denique, panem eundem & idem poculum participantem, alterum cum altero uniat in eiſdem ſpiritus ſancti communionem, ut minime quiſpiam noſtrum uel in iudicium uel condemnationem ueniat: ſimul efficiens, ut ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui participes ſiamus. Ita q; profitemur & credimus, per ipſa Domini uerba, perq; ſpiritus ſancti uim, ac preces ſacras, myſterium hoc perfici, quemadmodum per expoſita teſtimonia demonſtratū eſt. atque hæc ad alteram quæſtionem dicta ſufficiunt.

QUÆSTIO III.

AN ſacerdos diuinum hoc ſacrum peragens, excluſis laicis, corpus ac ſanguinem Chriſti, ſiue panem benedictum participat?

RE.

A Si quispiam laicus dignus & idoneus fuerit, nihil est quod eum a participatione immaculorum mysteriorum arceat. Omnes quidem apud nos laici quauis in liturgia panem benedictum accipiunt, quem nos Antidorum siue Vicarium donum appellare consueuimus: idque fit apud nos ex diuinorum patrum traditione. De hoc audi sapientem illum Cabasilam cap. LIII hoc quodam modo differentem. Secundum hæc allatum panem, ex quo panem sacrum refecit, multas diuisum in partes fidelibus distribuit, uti qui ex eo sacer factus sit, quod ipsi Deo dicatus fuerit ac oblatus. Illi uero cum omni eum reuerentia accipiunt, ac dextram exosculantur, uti quæ recens sacrosanctum Seruatoris corpus attigerit, ac profectam inde sanctificationem non solum hauserit, sed etiam communicare cum attingentibus queat. Præterea sanctissimus ille Symeon Thessalonicensis archiepiscopus in hanc sententiam de hoc pane loquitur: Tum pontifex egreditur, & uicissim populo quod Antidorum uocant, largitur. Quippe quum pontifex Christum (uti diximus) repræsentet: iccirco & sacrum peragit, & tum ipse Christum participat, tum sanctificatis lustratisque porrigit. Quoque populum quoque participem fieri sanctificationis oporteat, intellectualiter cum fidelibus ea sanctificatio communicatur, quæ ex precibus & reuerendo illo sacro prouenit. Et uero quum eidem populo sit necessarium, ut quum corporibus ipse præditus sit, etiam per res quasdam sensiles sanctificationem percipiat: propterea uicarium munus illud usurpatur, quod est panis sanctificatus, & oblatus in propositione, cuius media maxime pars exacta, rei sacre peragende offertur. Is deinde donorum, hoc est, reuerendorum mysteriorum loco, ut qui & lancea signatus sit, & uerbis sacris adhibitus, præbetur his, quotquot mysteria non participant. Hæc ad tertiam quæstionem respondisse satis est.

QUÆSTIO IIII.

Q Vale sacrum hoc esse statuunt: actionis ne gratiarum, an pro peccatis expiatorium?

RESPONSIO.

C Hanc etiam quæstionem tibi diuinus ille Cabasilas ceterisque Theologi soluent. Nam cap. LII Cabasilas inquit: Dignum & illud est, de quo inquiretur. Quum sacrum hoc & gratiarum actionis causa sit institutum, & supplicationis: quamobrem non ab utroque nomine ei datur, sed a gratiarum actione tantum. Nimirum ab eo, quod maiorem in eo locum sibi uindicat. Plures enim heic se gratias agendi, quam supplicandi occasiones offerunt. quippe quum plura acceperimus, quam ea sint, quæ petimus. hæc pars quedam sunt, illa totum. Quæ supplicamus ut consequamur, pars sunt eorum, quæ accepimus. Accepimus omnia, Deum quod attinet: qui quidem reliqui nihil fecit, quod nobis non dederit. uerum uti quedam consequamur, necdum opportunum est: in quo genere sunt corporum immunitas ab interitu, & immortalitas, & caelesteregnum. Quaedam consequuti, non retinuimus: cuiusmodi sunt remissio peccatorum, aliaque dona, quæ per sacramenta nobis exhibentur. Quedam

amissimus, abusi nimirum eis, ne priores euaderemus: qualia sunt trāquil^A litas, commoda ualetudo, diuitiæ. quibus abutuntur, quotquot ea materi-
 em uoluptatis & improbitatis faciunt. Deniq; bonis præsentibus exui-
 mur, lucri maioris causa, cuiusmodi Iobo quiddam accidit. Ex quibus ma-
 nifestum est, Deum supplicationi locum nullum nobis reliquisse, quum
 nullam non causam agendi gratias habeamus. At uero nosmetipsi egesta-
 tem nobis ignauia nostra cōciliantes, supplicatione opus habemus. Et ui-
 deamus, ob quænam supplicemus. Num propter remissionem delictor-
 um? Eam uero per sacrosanctum baptismum nullo labore nostro conse-
 quuti sumus. Cur igitur illam petimus iterum? quod rursum peccatis ob-
 noxi facti simus. Et quæ nobis est reatus illius causa? nos ipsi. Sumus igi-
 tur ijdem in causa, quam obrem supplicare nos oporteat. Basilii autem,
 rerum ille diuinarum interpret, in quadam Hierurgiæ suæ precatione: Da
 (inquit) Domine, ut pro peccatis nostris & huiusce populi ignorationib.
 sacrum hoc nostrum sit acceptum, tibiq; gratum. Et alia in precatione cō-^B
 similiter ait: Fac nos idoneos, ut citra condemnationem hæc immaculata
 uiuificaq; mysteria participemus ad remissionem delictorum, & spiritus
 sancti communionem. Quinetiam diuinus ille Chrysoctomus in quadã
 Hierurgiæ suæ precatione consonis omnino uerbis utens inquit: Offeri-
 mus quoq; tibi rationalē hūc & expertem sanguinis cultum, tēq; obsecra-
 mus, rogamus, supplicamus, ut in nos & hæc dona proposita spiritum san-
 ctum tuum demittas, ut ea participātib; ad animæ sobrietatem faciant,
 ad peccatorum remissionem, ad communionem Spiritus sancti, ad regni
 cœlestis certificationem, ad animi erga te libertatem, non ad iudicium uel
 condemnationem. Itaq; tam hinc, quàm inde apparet, propriè diuinum
 hoc sacrum & expiatorium & gratiarum actionis dici, quemadmodū est
 demonstratum. Satis de quæstione IIII dictum.

QVÆSTIO V.

AN necessarium arbitrantur esse, ut laici tam in specie panis, quàm in^C
 specie uini Christum participant?

RESPONSIO.

Hanc Dominus ipse quæstionem tibi soluet, qui hoc modo in Euange-
 lijs, capite Ioannis v i loquitur: Amen amē dico uobis, nisi filij hominis
 carnem comederitis, & sanguinem eius biberitis: uitam in uobis non ha-
 betis. Qui mea carne uescitur, meumq; sanguinē bibit: is uitam habet æ-
 ternam, eumq; ultima ego die suscitabo. Caro enim mea uerè est cibus, &
 sanguis meus uerè est potio. Qui mea carne uescitur, meumq; sanguinem
 bibit: is in me manet, & ego in eo. Beatus etiam Paulus in priore ad Co-
 rinthios epistola magistro suo consona profert. Quisquis, ait, indignè pa-
 nem hunc comederit, aut Domini poculum biberit: ob ipsius Domini
 corpus atque sanguinem pœnas dabit. Et diuinus ille magnusq; Ba-
 silii in quadam Hierurgiæ suæ precatione sic loquitur: Respice Domine
 Iesu Christe, qui Deus noster es, è sacrosancto domicilio tuo, deq; solio
 gloriæ regni tui, & ad sanctificandum nos ueni, qui & superius una cum
 patre

A patre confides, & nobis heic inadspectabiliter ades. Dignare potenti manu tua immaculati corporis tui, pretiosi que sanguinis participes facere nos, & per nos omnem hunc populum. Quapropter iuxta dictum illud Domini, qui carnem eius non comederit, & sanguinem eius non biberit; eum ultima die non suscitabit. Itaque necesse est quemlibet Christianum, siue sacris addictum, siue non, utraq; participare. Satis & de v quaestione dictum.

QVÆSTIO VI.

Num sacerdos aliquando rem sacram peragit populo non præsente, sed tantum homine uno? & an laici eucharistiam congenulando uenerantur?

RESPONSIO.

B Omnino sacerdos quilibet rem sacram populo non præsente peragit, saltem uno cum puero, qui aliquibus in locis sacre huius actionis ei respondere possit: cui quidem actioni quum adsunt laici, ad terram usque coram eucharistia religiosa cum reuerentia procidunt. Hoc respondisse sat esto, ne ob responsionum prolixitatem quaestiones obscuræ ac inexplicatæ relinquantur.

QVÆSTIO VII.

Num peccâtes orare sanctos consueuerunt, utentes scilicet huiusmodi uerbis; Sancte Petre, ora Deum pro me?

RESPONSIO.

Hoc etiam ita se habere dico. Nam ex diuinorum patrum prisca traditione sic dicere consueuimus: Sancte Apostole Petre (uel quicumque tandem apostolorum fuerit) deprecator pro nobis peccatoribus esto. Consimiliter appellare singulos sanctorum ordines solemus, martyres religiosos, & alios. Satis de VII.

QVÆSTIO VIII.

HAbent ne in ecclesijs simulacra sculpta? & quamobrem non habent?

RESPONSIO.

C Simulacra sculpta non habemus propterea, quod à diuinitus gubernatis patribus ea non acceperimus: qui quidem maxime dehortantur, ne illa colamus, & congenulando ueneremur. Audi quid unus ex Christi Dei maioribus Dauides in psalmo XCVI dicat: Pudore adficiantur omnes, qui sculpta simulacra uenerantur, & de astris suis freti gloriantur. Itidem Moses in Deuteronomio: Per simulacra, inquit, sua me iritarunt. Et rursu Dauides psalmo CXXXIII: Simulacra gentibus peculiaria sunt. Quapropter simulacra & sculptula statuas de sententia nostrorum Theologorum gētes habet, non sancta illa natio, quæ est Christianorum. Iccirco sacrosancta Carthaginensis Synodus capite LVIII sic ait: Quod reliquias simulacrorum attinet, quæ aboleri debebāt: à religiosissimis Imperatoribus petendum, ut simulacrorum reliquias, quæ per uniuersam Africam superant, excindi omnino iubeant. Ac rursus eadem Synodus canone XCIV sic ait: Defunditis extirpandis reliquijs simulacrorum similiter placuit, esse petendum à gloriosissimis

simis

simis imperatoribus, ut reliquæ cultus simulacrorum non Xoanis modo, sed etiam ubiuis locorum omnibus modis aboleantur. Hæc breuiter octaua responsione compræhensa, non displicitura tibi confido.

QUÆSTIO IX.

Credunt ne Græci purgatorium quemdam ignem esse, quo prius animæ purgentur, quàm in cœlum perueniant?

RESPONSIO.

Breuiter ad hoc etiam tibi respondeo, de quo tantum non infinitis locis ac tēporibus quæsitū est. Inuenies & scripta de hoc Theologorū nostrorum opera. Quamobrē quid Græci uniuersi hac in parte sentiamus, audito. Nequaquam post mortem & ex hac uita discessum restare purgatorium quemdam ignem credimus. Nam psalmorum auctor ait: Quis apud inferos tibi confitebitur? quasi dicat, nemo. Tentationes quidem illas, quas in hac uita experimur, quasi purgatorium quemdam ignem esse statuimus. Nam eiusmodi tentationum diuturnitate, quæ nostri castigandi causa contingunt, homines interdum à peccatis expurgantur. quemadmodum in illo dicto significari uides: Per ignem & aquam transiuimus, ac eduxisti nos ad recreationē. Quod si esset ante iudicium eiusmodi purgatorius animarum ignis à morte, nimirum uniuersæ animæ infinita temporis diuturnitate sic perpurgarētur, ut iudicij tempore nulla pœnis obnoxia reperiretur. De quo porro consequeretur, à Christo frustra dictū: Hi quidem ad supplicium æternum, iusti uero æternam ad uitam abibūt. Item illud: Qui rectè se gesserint, ad resurrectionem uitæ: qui scelerata facinora designauerint, ad resurrectionem iudicij. Hæc orientalis est ecclesiæ sententia, quam in hodiernum usque diem retinet.

QUÆSTIO X.

Existimant ne post hanc uitam animas supplicij quibusdam propterea purgari, quod in hac uita meritis pœnas non dederint?

RESPONSIO.

De hac quæstione, sæpius agitata, prudenter & perspicaci animo uelim audias, quæ Theologorum nostrorum sententia sit. Eorum hominum animæ, quorum quasi media quædam condicio est, qui scilicet mortiferis in peccatis diem extremū nō clausurunt, nec tamen omnino expertes culpæ fuerunt, pœnitentiæ uel fructus declararunt: horum inquam animæ creduntur à nostris eiusmodi delictorū ratione purgari, non per purgatoriū aliquē ignē, uel determinata certo quodam loco supplicia (nam id nusquam traditū exstat) sed nōnullæ in ipso diremtu à corpore per solum metū, uti Gregorius ille cognomēto Theologus pronuntiat: nōnullæ post diremtū à corpore, fortassis etiā apud orcu detentæ, nō quod in igne supplicio uel sint, sed uelut in custodia & uinculis coerceantur. His omnib. opitulari preces eorum nomine factas dicimus, concurrente cum his diuina bonitate & clementia, quæ ad huiusmodi peccata pleræque conuiuet, eaque mox condonat, nimirum si quæ ex imbecillitate humana commissa sunt, quemadmodum magnus ille Dionysius ait in consideratione mysterij de ijs, qui sanctè consopiti quiescunt. Nam
alios,

A alios, uti diximus, expurgat metus; alios tortura conscientiae, quae animam acrius rodit, quam quiuis ignis; alios sola diuinæ gloriæ amissio, & incertitudo eius, quod futurum est, nū his sint potituri. Quae quidem omnia quauis alia re magis hominem torquere ac poenis subijcere, docet ipsamet experientia. Chrylostomum quoque testem habemus, in omnibus prope, uel plurimis saltē moralibus concionibus, suis huiusmodi quaedam tradentem: ac praeterea Dorotheum sectatorem solitariorum exercitiorum, in oratione de Conscientia. Quinetiam in aeuo futuro magis per haec supplicia torqueri eos, qui puniuntur, sacri Doctores tradunt. Quam in sententiam & magnus ille Gregorius cognomento Theologus in oratione de plaga grandinis inquit: Alios quidem excipit lux ineffabilis, & sacrosanctae imperatricisque rerum Trinitatis contemplatio: alios uero inter caetera tortura quaedam, uel potius ante caetera reiectio a Deo, & finis expertae conscientiae foeditas atque turpitudine. Ab huiusmodi ergo malis ut ipsi liberentur, qui obdormierunt, a Deo petimus, & liberi credimus: non autem a supplicio quodam alio uel igne, qui diuersus sit ab istis, quae Deus eternum duratura minatus est. Praeterea consopitorum animas ex orci detentione tamquam carcere quodam per preces liberari, testatur inter alios multos magnus etiam Basilius, in precibus suis, quae tempore Quinquagesimae legi consueuerunt, ad uerbum ita scribens: Qui hoc perfecto salutarique festo placationes ac preces supplices pro istis, qui apud orcum detinentur, accipere dignatus es, ac nobis spes magnas facis, futurum ut detentis liberatio ab istis molestiis, quibus affliguntur, & recreatio abs te contingat: pro quibus ipsis animis placatorias preces & sacra tibi offerimus. Itidem Theophanes confessor & sacris fastis inscriptus, in hymnorum de consopitis uno, tali quodam modo pro eis precatur: A lacrymis & gemitibus orci seruos tuos libera. Et ecclesia nostra quodam in modulo de istis qui obdormierunt, hac precatione utitur: Miserere signemini tui Domine, atque id benignitate tua mundato. Hac in sententia fuerunt & alij, qui hos sequuti sunt, Doctores: nosque iubent illam amplecti, profiteri, ueram credere. Habes quid nos de quaestione X statuamus.

C

QVAESTIO XI.

Tradunt ne confessionem esse, quae quidem ipsa sit sacramentum a Christo institutum, ad salutem necessarium?

Num item existimant in ea singulorum peccatorum enumerationem faciendam esse: quibus denique uerbis sacerdotes istis qui deliquerunt, peccata remittunt?

RESPONSIO.

Ad hanc quoque interrogationem XI iuuante Deo sic respondebo, quem admodum diuinis e literis accepi. Dauides auctor generis Christi Dei, perspicue sic in VII I psalmo inquit: Confitebor tibi Domine toto corde meo. Et frater ille Domini Iacobus in epistola sua Catholica: Confitemini, ait, inuicem delicta, & supplicate alius pro alio, ut sanemini. Dominus autem in XIX capite Euangelistae Matthaei sic inquit: Amen dico uobis, quaecumque in terra ligaueritis, ligata fore in caelo: & quaecumque in terra solueritis, in caelo soluta fore.

fore. Tunc aggressus cum Petrus: Quoties, ait, peccanti in me fratri meo ignoscere debeo? ad septies ne? Cui Iesus: Non dico tibi ad septies, sed ad septuagies septies. Idem alibi capite xvi i Lucae inquit: Si in te peccauerit tuus frater, repræhende eum: & si eum pœniteat, ignoscito ei. Denique Deus & homo Iesus, confessionis nullius egens, in eiusdem Euangelistæ x capite sic patrem suum compellat: Confiteor tibi pater, cœli terræque Domine. Quamobrem ut idem nos quoque faciamus, à Christo ad salutem est institutum. Et omnino peccatorum enumeratio fieri debet, quemadmodum illi magni rerum diuinarum præcones atque lumina, Basilius, & cum fratre consentiens antistes Nyssæ Gregorius, aliique hos subsequuti Doctores præcipiunt. Quippe de singulis etiam delictis canonem scripto comprehensum nobis tradiderunt. Nam qui eadem commisit, de magni Basilij sententia, quæ in canone lvi exstat, à sacris mysterijs totos xx annos arcebitur, itemque pædico annos xv. Et Ancyrana Synodus canone xx adulterum à participatio-^B ne sacrorum mysteriorum annos vii excludit, atque ita deinceps serie quadam cum his alij quoque diuini doctores consentiunt. Et quamobrem is qui confitetur, uiris spiritualibus peccata singula fateri debet, una cum loco & modo? Vti nimirum spiritualis pater adhibere medicinam eis secundum instituta sanctorum patrum possit. Absoluunt autem spirituales patres ac sacerdotes eos, qui deliquerunt, huiusmodi quadam oratione: Benignus ille Deus, qui propter nos abiectos uilesque homines, & salutis nostræ causa naturam humanam adsumsit, totiusque mundi peccata tollit ac gestat, nunc quoque pro benignissima sua misericordia & bonitate tibi hæc omnia condonabit, mi frater, quæ modo coram ipso indignitati meæ recensuisti, remittetque tibi omnia tam in hoc quam futuro æuo, qui omnium salutem uult, & est benedictus sæculis infinitis. Amen. Hæc ad xi quæstionem respondisse sufficit.

QUÆSTIO XII.

Quot & quænam sunt sacramenta?

RESPONSIO.

Sunt omnino septem. nimirum Baptismus, Vnctio, Communio, Manuum impositio, Coniugium, Pœnitentia, & Oleum sacrum.

CONCLUSIO.

Hæc ad quæstiones tuas xii respondere tibi uoluimus, quæ quidem ita credere ac seruare certo debemus omnes, quemadmodum à præconibus sacrosancti spiritus & gubernatis à Deo patribus sunt tradita. Non enim ipsi erant, qui loquebantur: sed sacer ille spiritus. Quamobrem minime limites æternos quisquam loco moueat, aut mutet: sed accepta diuinitus, ac patrita colenda sunt, & retinenda. Vale.

IOAN.